in et super tota et integra medietate bonorum suorum generaliter omnium haereditariorum, obligatoriorum, mobilium et immobilium summarumque quarumvis pecuniarum, nec non auri, argenti, clenodiorum, unionum, margaretarum, vestium, vestimentorum, stanni, aeris, cupri, orichalci, pecorum, pecudum, equorum, equiciorum, ac totius supellectilis domesticae nunc habitae et in post habendae, dedit, dotavit, dotalitavit, inscripsit, et reformavit, prout dat, dotat, dotalitat, inscribit et reformat praesentibus per ipsam Nobilem Marinam Popielowna sui recognoscentis consortem legitimam et ipsius posteros, eandem medietatem bonorum suorum generaliter omnium, cum universis ipsorum utilitatibus, et usufructibus, competentiaque et praerogativa quavis tenendi, habendi, et possidendi, illisque quiete et pacifice utifruendi, ac ad usus suos et suorum successorum quosvis beneplacitos libere et effectualiter convertendi, vigore ac more, aliarum reformationum hactenus et dictius in Regno Poloniae observari solitarum.

Kopystynski Vniatyckie Quietatio

Comparens personaliter coram Officio et Actis praesentibus Castrensibus Capitanealibus Praemisliensibus Generosus Alexander Kopystynski, sanus mente et corpore existens, a Terris, Districtibus, Iuribus, Iurisdictionibusque suis quibusvis propriis et competentibus recedendo, praefatae vero Castrensi Capitaneali Praemisliensi Iurisdictioni quoad actum hunc attinet, se cum successoribus, ac bonis suis generaliter omnibus totaliter et plenarie incorporando atque subiiciendo palam libere, publice, ac per expressum recognovit. Quia ipse Nobilem Stanislaum Vniatycki de Michowicze eiusque posteros de inscriptione Castrensi Capitaneali Praemisliensi obligatoria sibi recognoscenti per eundem Nobilem Stanislaum Vniatycki coram Actis Officii praesentis

nuper

super summam Centum Quinquaginta Florenorum Polonicalium facta et recognita atq[ue] in bonis suis proprijs et haereditarijs infrascriptis videlicet Laborioso Fedko Karczmarczyk in media Quarta agri residente cum tota illius supellectili domestica ac eodem ipso agro per ipsum possesso in bonis villae Vniatycze Terrae et Districtus praefatorum Praemislien[sis] consistentibus, modo obligatorio de anno ad annum ad solvendum assecurata Inscriptione eadem obligatoria Officij praefati de praemissis latiore. Nec non de summa suprascripta Centum Quinquaginta Florenorum Polon[icalium], bonisq[ue] ipsis et subdito summa eadem oneratis, accepta ab ipso de praemissis omnibus plenaria et sufficienti satisfactione summaeq[ue] persolutione, Relaxat emittit, dimittit, liberumq[ue] et absolutum perpetuo facit et pronunciat, Inscriptionem praefatam Castrensem Capitanealem Praemislien[sem] obligatoriam cassat mortificat, et annihilat, atq[ue] de bonis condescendit, sibi et suis posteris ratione praemissorum omnium perpetuum imponendo silentium.

Drohoiowski Intercisam cum Lesniowskie Conjugibus suo pro Interesse Roborat.

Comparens personaliter coram Officio et Actis praesentibus Castren[sibus] Capitan[ealibus] Praemislien[sibus] Generosus Stephanus in Drohoiow Drohoiowski sanus mente et corpore existens, a Terris, Districtibus, Iuribus, Iurisdictionibusq[ue] suis quibusuis proprijs et competentibus recedendo, Praesenti vero Castrensi Capitaneali Praemisliensi Iurisdictioni quo ad actum hunc attinet secum successoribus ac bonis suis generaliter omnibus totaliter et plenarie incorporando atq[ue] subijciendo palam, libere, publice, ac per expressum recognovit. Quia ipse se ac suos successores in et super bonis suis

generaliter